

## CASUS XIV.

## MUTUS.

CANUTUS cernit furem segetes in prædio PAULI surripientem; non obstat, neque clamat, licet facile illum impedire possit. Imo, nedum eum cohibeat, vel denuntiet, ab eodem pecuniam accipit, ut de re altum servet silentium. Verum, cum confessus fuisset, arguitur a Confessario de peccato gravi, et obligatur tum ad pecuniam acceptam pauperibus erogandam, tum ad resarcienda damna a fure PAULO illata.

HINC :

- QUÆR. 1° *An graviter peccaverit CANUTUS furtum non impediendo?*  
 2° *An teneatur ad restitutionem erga PAULUM?*  
 2° *An pecuniam a fure acceptam dare debeat pauperibus, vel reddere furi, aut eam servare possit?*

SOLUTIO :

690. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1° Certo CANUTUS graviter peccavit *contra caritatem*, omittendo clamare, vel furem impedire, licet ex officio non fuerit obligatus ad damnum a prædio PAULI arcendum. Ratio est, quia omnes tenemur, ex generali principio caritatis, malum proximi impedire, quoties id facile, absque damno nostro proprio gravi, præstare possumus. 2° CANUTUS non peccavit *contra justitiam*, pecuniam accipiendo ad tacendum, si furtum jam consummatum fuerit; quia, per silentium promissum, non fuit causa efficax furti, seu non protexit furantem, sed tantum protexit furti patrati reum, contra pœnæ incurrendæ periculum; et proinde in ipsum furtum, ut causa efficax, influere non potuit: secus vero si pecuniam acceperit ante furti executionem, ita ut furi securitatem præbuerit.

691. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* CANUTUS tenetur ad restitutionem erga PAULUM, ut cooperator efficaciter in damnum influens, si accepit pecuniam a fure ante furtum, ita ut securitatem ei præstiterit, et fur inde animosior ad furandum factus fuerit; adeoque in eo casu loco furis damnum ab illo illatum reparare debet. A fortiori injustæ cooperationis reus foret, si pecuniam accepisset ad invigilandum, seu ad terga furi servanda. *Collet*, etc.

692. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* 1° Si CANUTUS non influxit in furtum, v. g. si, furto patrato, accepit pecuniam ad tacendum, ne furem prodatur, pecuniam servare potest, quia contractus est de re indifferenti, proindeque validus. Si vero, pecuniam accipiendo ante furtum, furi securitatem præbuit, ita ut hic animosior redderetur, juxta plures tenetur pecuniam reddere ipsi furi; quia contractus est nullus, utpote de re iniqua. Sed juxta alios non paucos, etiamsi CANUTUS fuisset aliquo modo cooperator per silentium promissum, probabiliter tamen pecuniam retinere posset post factum, tanquam pretium officii erga furem præstiti. *V. Comp. de Contr. in genere*, n. 760, et *Cas. 1, de Contr.*, n. 762 et seq.

## CASUS

## DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

## SEU

*De solidaritate. — De ordine restitutionis quoad cooperatores et creditores. — De tempore et modo restituendi. — De causis a restitutione excusantibus.*

## CASUS I.

## SOLIDARITAS.

1° CÆSAR, inito cum duobus sociis consilio, perrexit nocturno tempore ad fructus in prædio CAII furandos; singulorum tamen furta seorsim spectata materiam gravem non æquarunt, licet collective sumpta damnum grave constituerint.

2° MELITO, cernens duos homines sarcinam mercium furtivam deferentes, illis se adjunxit, et onus cum iisdem bajulavit, unde pars aliqua reum ipsi tributa est. Alias, rescians tres homines pergere ad aream DAMIANI incendendam, perrexit et ipse, et cum eis simul ignem apposuit.

3° FLAVIA et ROSINA, inita commercii societate, pannum pro sexcentis francis infra infimum pretium emunt a BARBARA conjugata, quæ, inscio marito, illud vendit, ut pecuniam habeat ad superfluum ornatum sibi comparandum.

HINC :

- QUÆR. 1° *An CÆSAR graviter peccaverit, et teneatur ad totum damnum, omittentibus id sociis, reparandum?*  
 2° *An MELITO, teneatur ad restitutionem in solidum, si pro parte sua non restituant socii, sive quoad sarcinam ablatam, sive quoad areæ incendium?*  
 3° *An FLAVIA et ROSINA teneantur singulæ in solidum, altera restitutionem denegante?*

SOLUTIO :

693. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1° Teneris restituere in solidum, quando totum damnum tuæ actioni adscribi potest. Hoc autem fit in tribus his casibus: 1° quando cooperatio tua est *necessaria* ad damnum patrandum: v. g. si adjuves furem ascendente ad furandum, cum secus ascendere solus non potuisset; 2° quando cooperatio tua fit *cum stricta conspiratione*, ita ut, te non concurrente, damnum non evenisset; 3° quando actio tua est causa principalis damni, ut in mandato. *S. Lig. n. 579. — V. Comp. n. 695.*

2° CÆSAR procul dubio peccavit graviter, et, omittentibus sociis, in



*solidum* restituere debet. Ratio est, quia, cum *ex communi consilio* cum aliis egerit, actio omnium fit *communis*, seu datur unica actio moralis, ex qua damnum grave sequitur. Ergo singuli *in solidum* tenentur, siquidem singuli totum damni secuturi periculum susceperunt. Ergo CÆSAR etiam *in solidum* tenetur.

694. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* MELITO excusandus est in utroque casu ab onere restituendi *in solidum*. 1<sup>o</sup> Quidem non tenetur ratione sarcinæ ablatae, quia tunc ejus cooperatio non fuit necessaria ad totum damnum, siquidem alii fures absque eo sarcinam deferebant. 2<sup>o</sup> Neque ratione incendii, saltem *probabiliter*; quia, licet ejus actio sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum hæc actio neque *necessaria*, neque *communis* dicenda sit.

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Affirm.* Sequitur a fortiori ex supra dictis, siquidem *communis consensus* adhuc clarius patet. Proinde utraque mulier, alterutra non restituente, *in solidum* tenetur.

NOTA. Quoad praxim, ut recte advertit *S. Lig.*, rustici non intelligunt obligationem restituendi *in solidum*: existimant enim satis esse si unusquisque partem suam restituat; proinde caute cum iis a Confessario procedendum est, nec urgenda obligatio solidaria, si fructus ex monitione non speretur.

## CASUS II.

ORDO RESTITUTIONIS 1<sup>o</sup>.

NICASIUS, calamitatibus pressus, multis oneratur debitis, tum ex furto variisque fraudibus, tum ex diversis rebus ad creditum emptis; hæret dubius et anceps quibusnam satisfacere primo loco debeat vel possit, cum omnibus ad juris æqualitatem solvere omnino nequeat. Infelix homo adit Confessarium, ut ab ipso in tantis angustiis resciat quid consilii sit capesendum. Respondet ocuis doctor consultus præferendos omnino esse: 1<sup>o</sup> creditores tempore priores, licet non sint privilegiati, posterioribus; 2<sup>o</sup> pauperes divitibus; 3<sup>o</sup> præsentibus absentibus; 4<sup>o</sup> cognitos incognitis; 5<sup>o</sup> creditores quibus debetur ratione delicti, creditoribus qui ex contractu jura acceperunt.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An sint creditores qui debeant vel possint præferri, quando debitor omnibus satisfacere nequit?*

2<sup>o</sup> *An recte Confessarius responderit in casibus propositis, vel quid sit respondendum?*

SOLUTIO:

695. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Præferri debent aliis, creditores quorum debita sunt in jure *privilegiata*, ut sunt plerumque expensæ judiciales et funeris, stipendia medicorum et famulorum, etc... 2<sup>o</sup> Postea solvendi sunt creditores *hypothecarii*, servato temporis ordine. 3<sup>o</sup> Inter alios præferendi sunt creditores *ex titulo oneroso*, creditoribus *ex titulo gratuito*, quia debitor gratuito promittens censetur apponere hanc tacitam conditionem: *Si commode præstare valeam*. Porro ille qui non potest omnibus creditoribus

satisfacere, sane commode præstare nequit id quod gratuito promisit. — Quod spectat ad cæteros creditores quoslibet, nulla est obligatio alios aliis præferendi. Attamen probabiliter præferri possunt creditores tempore priores.

696. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Ex dictis patet quantum erraverit Confessarius respondendo pœnitenti suo, scilicet, *fere in omnibus*. Doctor igitur *consultus* non videtur doctor *eximius*, et prius quidem docendus quam doceat. Debuisset saltem scire dubitare, seu scire *se nescire*, et non adeo præcipitanter suam doctrinam tradere, sed prius inquirere, sive doctores interrogando, sive auctores probatos consulendo. *V. Comp. n. 704 et seq.*

## CASUS III.

ORDO RESTITUTIONIS 2<sup>o</sup>.

LEONTIUS, homo dives, cum HIRCANO, mercatore, amicitia conjunctus, trecentos frumenti modios, pretio non soluto, ei vendidit, eidemque mille nummos absque ullo fenore mutuos dedit. Sed ecce paulo post, HIRCANUS, cum navis ejus mercibus onusta periisset, in maximum discrimen venit. Ære alieno se gravatum, et omnibus debitis solvendis imparem sentiens, rem totam amico suo LEONTIO manifestat. His cognitis, LEONTIUS, merito timens ne alio tempore recuperare nequeat quidquid sibi debebatur ab amico, enixis precibus eum rogat ut frumentum, quod adhuc inventum exstabat, et mille nummos mutuo acceptos, sibi restituat. HIRCANUS igitur, ut ingrati animi notam erga amicum effugeret, et frumentum et pecuniam amico suo reddidit. Quare factum est, ut aliis creditoribus satisfacere non potuerit.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An debitor peccet contra justitiam, si creditori extra judicium petenti ex integro solvat?*

2<sup>o</sup> *An vel quomodo peccet debitor, si aliquem ex creditoribus de statu labili rerum suarum secreto admoneat, vel si ipsi etiam non petenti solutionem integram offerat?*

3<sup>o</sup> *An creditor ipse peccet contra justitiam, solutionem integram accipiendo? Et an teneatur ad restitutionem sive erga debitorem, sive erga ejus creditores?*

4<sup>o</sup> *Quid de HIRCANO et LEONTIO dicendum?*

SOLUTIO:

697. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Controvertitur. *Nego probabilius*, quia creditor actionem personalem habet in debitorem, et totum debitum petendo jus suum prosequitur. Nec adversatur lex civilis, quæ, secluso casu cessionis honorum, nunquam talem creditorem ad restitutionem obligat. Insuper, si privatim petenti solvatur, vitantur strepitus, scandala et expensæ notabiles, quæ sequerentur si debitor judicis sententiam expectaret. *Billuart.* — *Lessius.* — *S. Lig. n. 692.* — *Negat tamen probabiliter Lugo cum aliis,*



quia, aiunt, creditores jus æquale habent, et proinde iniquum est unum cum detrimento aliorum indemnem ex integro facere.

698. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Debitor peccat graviter contra caritatem et justitiam secreto unum e creditoribus de statu suo labili admonendo, vel in eo casu integram solutionem uni soli offerendo; quia, cum nullus creditor jus suum prosequatur, neminem potiore diligentia facit: proinde omnes creditores sunt jure æquales, postulatque naturalis æquitas ut nulli integra solutio fiat cum aliorum damno. *S. Lig. n. 692.*

699. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Scilicet, an creditor ipse peccet contra justitiam solutionem integram accipiendo?

1<sup>o</sup> Certo creditor peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem, si solutionem accipiat in casibus in quibus talis solutio expresse irritatur, v. g. post declaratam bonorum cessionem.

2<sup>o</sup> In cæteris casibus *controvertitur*. Sententia *communior* affirmat, quia creditor ille nullum jus habet ut integram accipiat solutionem cum aliorum detrimento. Attamen sententiam negativam tenent graves Theologi, *Lessius, Molina, etc.* — *Card. Lugo* eximit a restitutione creditorem, qui bona fide solutionem acceperit; secus autem si mala fide; et tunc, inquit, obligatur ad restituendum cæteris creditoribus. *S. Lig. n. 693.*

700. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> *LEONTIUS*, ex *Jure Romano*, frumentum repetere potest, si non accepit neque pignus, neque cautionem, neque testimonium debiti, quia existit adhuc in individuo, nec censetur perfecta omnino venditio, cum pretium non sit solutum, neque assecuratum. *S. Lig. n. 685.* — *Ex jure Gallico*, res vendita reclamari nequit in casu cessionis bonorum, nisi intra octo dies post factam traditionem. Attamen creditor est privilegiatus, quoties res in individuo existit, et proinde aliis creditoribus præferri debet. *Cod. civ. art. 2102.*

2<sup>o</sup> *Pròbabilius* *LEONTIUS* non potest retinere integrum suum debitum pecuniarium, quod reclamavit et obtinuit, postquam infortunium amici sui resciverit. Plures tamen, ut diximus, permittunt ut retineat. Sed graviter sine dubio peccavit *HIRCANUS*, eum de labili statu fortunæ suæ admonendo, quia sic damnum aliis creditoribus intulit.

#### CASUS IV.

##### INFELIX DEBITOR! INFELICIOR MANDATARIUS!

*LICINIUS*, vir integerrimæ famæ, premente inopia, licet non extrema, occulte surripuerat *PETRO* gravem pecuniæ summam. Elapsis vero pluribus annis, meliori facta conditione, restituere volens, debitum commisit *BERNARDO*, viro fidissimo; sed cum hic pecuniam ad dominum deferret, a latrone spoliatus et enecatus est. Id rescians *LICINIUS*, reputavit se jam ad nihil amplius teneri; sed audit a Confessario, urgere adhuc restitutionis obligationem. Igitur ipsimet Confessario aliam pecuniam commisit, *PETRO* reddendam. Ast heu! Confessarius hac eadem die, antequam restitutionem

peragere potuerit, repentina morte correptus est; nec pecunia ipsi tradita recuperari potuit. Iterum aliam pecuniam alii Confessario commisit; sed hic debitum deferens, aquis submersus est.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An LICINIUS adhuc quarta vice teneatur ad restitutionem?*  
 2<sup>o</sup> *An teneretur, si debitum commisisset viro ab ipso creditore ad hoc designato, et hic simili infortunio periisset?*  
 3<sup>o</sup> *An possessor bonæ fidei, vel debitor ex contractu ad novam solutionem teneatur, si pecunia solvenda vel res tradenda aut restituenda in itinere pereat?*

SOLUTIO :

701. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Infelix *LICINIUS* magnam sane commiserationem meretur, sed nullam indulgentiam. Quid enim ad *PETRUM*, creditorem, de triplici debitoris infortunio? Non ideo *indemnis* efficitur. Porro fur totum rei periculum in se suscipit, usquedum dominum omnino indemnem effecerit. Ita sententia *communis* et tenenda, ait *S. Lig. n. 704*, contra plures qui dicunt consensum creditoris *rationabiliter* præsumi posse in eo casu. Attamen *S. Lig.* non audet damnare excusantes eum qui per Confessarium rem debitam remisit.

Nec excusatur *LICINIUS*, ex eo quod pecuniam *PETRI* in gravi necessitate surripuerit; quia hæc necessitas a furto saltem gravi non excusat, ut patet *ex propos. 36<sup>a</sup> ab Innoc. XI damnata.* — *V. Comp. n. 711-716.*

702. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* *Nego*; quia debitor, quando solutionem fecit penes virum a creditore designatum, vel approbatum, jam cessat eo ipso esse rei sponsor; est enim perinde ac si debitum ipsi domino traderet. Ergo a debiti sollicitudine penitus liberatur.

703. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Possessor bonæ fidei ad nihil prorsus tenetur, seclusa omni culpa theologica; res enim perit domino, qui est ipse creditor. 2<sup>o</sup> Debitor ex contractu neque ipse ad restitutionem tenetur, si agatur de re alterius existente in individuo, v. g. accepta in depositum, commodatum, etc.; quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus vero, si agatur de pretio solvendo; quia debitor dominium illius servat donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii missi, usquedum in illius manus illud transmiserit. *V. Comp. n. 711.*

#### CASUS V.

##### TEMPUS RESTITUTIONIS.

1<sup>o</sup> *MIROCLES*, ob inopiam parentum quos alere debuit, damnorum a se illatorum restitutionem, necnon debitorum ex contractu solutionem ad notabile tempus differre debuit. Parentibus autem defunctis, creditoribus tandem satisfactorius, rescit eos, ob solutionis moram, tum lucrum cessans, tum damnum emergens passos esse.

2<sup>o</sup> *PAMELIUS* vendit *LOELIO* 30 mensuras vini, ea lege ut pretium intra duos menses solvat. Cum autem pecuniam hanc, tempore præfixo, certo



sibi ab emptore tradendam esse confideret, alium cum CAIO init emptionis contractum, cujus solutionem eodem tempore præstare debet. Verum, LOELIO debiti pretium solvendi moram faciente, magnum patitur damnum PAMELIUS.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quandonam differens restitutionem teneatur de damnis inde sequentibus?*

2<sup>o</sup> *An MIROCLES, in primo casu, teneatur ad resarcienda damna quæ ex mora solutionis creditoribus evenerunt?*

3<sup>o</sup> *An LOELIUS, in secundo casu, reparare debeat damnum quod PAMELIUS passus est?*

SOLUTIO :

704. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Quod ad debita ex injuria spectat, compensanda sunt damna omnia quæ ex dilatione solutionis secuta sunt, et quæ in confuso saltem prævisa sunt. Hoc valet etiamsi mora fuerit inculpabilis, quia injusto damnificatori imputanda sunt, saltem in causa, siquidem ille, injuriam patrando, suscepit in se omne periculum rei damnificatæ, et aliorum damnorum quæ inde subsequi possent. *Controvertitur* autem, utrum reparari etiam debeant damna *extraordinaria* quæ non sequuntur *necessario* ex dilatione restitutionis. *Probabiliter negatur*, quia hæc damna ne in confuso quidem prævideri potuerunt.

2<sup>o</sup> Quod attinet ad debita ex contractu, debitor non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens, si justam causam differendi habeat, seu si non sit in mora culpabili. Ita *communiter*. S. *Lig. n.* 680. — *V. Comp. n.* 713-714.

705. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> MIROCLES non tenetur ad resarcienda damna quæ evenerunt propter dilationem debitorum ex contractu provenientium, quia dilatio non est ei voluntaria et culpabilis.

2<sup>o</sup> Imo, nec tenetur ad reparanda damna quæ secuta sunt ex dilatione restitutionis, ratione injuriæ debitæ, in præsentis casu; quia hæc damna non proprie ex delicto sequuntur, nec prævisa fuerunt.

706. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* *Negative*; quia LOELIUS nullo modo incitavit PAMELIUM ad ineundum contractum cum CAIO: ergo non potest dici causa damni quod ille patitur. Adde quod damnum illud non fuit a LOELIO prævisum, cum non sequatur immediate ex mora solutionis. *V. Voit, n.* 839. — *Pontas, V. Restitutio, cas. 2.*

## CASUS VI.

### MODUS RESTITUENDI.

DIDACUS, debitis nonnullis erga SIDONIUM contractis, eidem interdum munera elargitur, aliquando memor, alias vero immemor debitorum. Post hæc autem, cum de solutione peragenda penitus sileret, comiter a creditore admonetur, ut velit obligationi suæ satisfacere. « Ecquid, exclamat

DIDACUS, inter me et te superest? Miror sane te habere quod ulterius a me requiras? Nonne a me dona accepisti, quæ debita facile superant? — Papæ! vice sua exclamat SIDONIUS, miror et ego, miror magis, debita solvi per donationes! Quis unquam de hujusmodi re audivit? Amice, *redde quod debes.* » Surdo canit SIDONIUS, ideoque, ut se indemnem faciat, ad occultam compensationem confugit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An valeat restitutio facta per donationes, si donans sit memor debiti?*

2<sup>o</sup> *Quid vero, si sit immemor debiti?*

3<sup>o</sup> *Si quis restituerit per fictam donationem, et donatarius aliud donando rependat, an a debito liberetur?*

4<sup>o</sup> *An SIDONIUS juste reclamet et se compenset?*

SOLUTIO :

707. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Quid, si debitor sit memor debiti? *Dist.* — Vel enim vult donum merum facere, vel intendit restituere per simulatam donationem. *Si prius*, non valet restitutio, quia non vult eam facere, sed aliquid gratuito donare: ergo remanet ad solvendum debitum omnino adstrictus.

*Si posterius*, id est, si intendat restituere per donationem simulatam, probabilius valet restitutio. Ratio est, quia non requiritur ad veram solutionem ut debitor externe fateatur se solvere: proinde vere satisfacit, licet creditor existimet sibi donum fieri; indemnis enim efficitur. Hinc, si TITIUS v. g. non possit sine nota infamiæ restituere CAIO 100 fr. huic a se surreptos, et ei restituat tempore nuptiarum, quo solent munera fieri et sub specie donationis, non esset urgendus ad aliam solutionem. *Ita communius contra Billuart, etc.*

708. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.*, seu quid si debitor sit immemor debiti? *Controvertitur.* Prima sententia *negat.* Ratio est, quia debitor in eo casu unice intendit donum facere, non vero debita solvere. Præterea, cum sit debitor ex titulo *justitiæ*, et ex titulo *donationis* acceptatæ, non potest utrique obligationi satisfacere simul. *Ita Layman, — Sanchez, — Bonacina, etc.* Attamen sententia opposita, *affirmans* debitorem liberari, non caret sua *probabilitate*, ut ait S. *Lig. n.* 700. Ratio est, quia, in omni liberali præstatione, quisque præsumitur velle prius satisfacere obligationi *justitiæ*, quam donum gratuitum erogare. — Præterea, oblivio debiti efficit ut donatio fuerit omnino involuntaria; qui enim donat censetur semper habere hanc implicitam voluntatem: « *Dono, nisi tenear ex aliquo alio titulo potiori.* » — Insuper dicunt Theologi non pauci, quod si quis voverit pium opus præstare, et illud ponat, immemor debiti, eum ad obligationem voti liberari; et hoc concedit *Layman, etc.* Si autem talis adimpletio satisfacit Deo, inquit S. *Lig.*, quare homini non satisfaceret?

709. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Negandum est. Ratio est, quia donatio illa facta ab ipso donatario non videtur plene voluntaria et spontanea, ut debet esse donatio mere gratuita; procedit enim ex opinione obligationis gratitudi-



nis, quæ falso nititur fundamento. *Affirmant* tamen aliqui. Ratio eorum est, quia, aiunt, simulata donatio non fuit causa, sed mera occasio doni quod retributum fuit. — In præxi autem suadendum est ut non fiat restitutio per simulatam donationem, nisi gravis ratio urgeat, ob difficultates quæ subsequi possint, ratione donorum quæ rependerentur.

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Ex dictis DIDACUS *probabiliter* debitis suis satisfacit; proinde SIDONIUS omnino injuste ad occultam compensationem recurrit, et ipse vice sua restituere debet: attamen, ut DIDACUS censeatur debitis satisfacisse, dona quæ creditori tribuit talis generis esse debent, ut veram utilitatem ipsi afferant, et debitum vere compensent.

## CASUS VII.

## RETRIBUTIO SPIRITUALIS.

MORINUS, Confessarius, inducere solet pœnitentes restitutionis obnoxios, ut Missas pro creditoribus celebrari curent. Etenim, ait, si defuncti sint, melius sic directe eis restituitur, cum ipsis tali modo prodesse possit restitutio, et sæpius ab hæredibus crudeliter derelinquantur; si vero adhuc vivant, meliori modo eis satisfit, nempe potius bona spiritualia quam temporalia retribuendo.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *An restitutio fieri possit per Missas?*

2<sup>o</sup> *An MORINUS, Confessarius, contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem teneatur?*

SOLUTIO :

710. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Dist.* Si dominus cognoscatur vel inveniri possit, *nego*; quia nulla est ratio ut ipsi restitutio non fiat. Proinde talis restitutio non valet, et iterum est restituendum. — *Affirmo* vero, si dominus sit incognitus, neque cognoscantur ejus hæredes; quia tunc debitum in pium opus impendi potest, imo et debet, si ex delicto ortum sit.

711. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Doctrina MORINI, Confessarii, non fuit secundum *scientiam et discretionem*, cum absque distinctione induxerit pœnitentes ut per Missas debitis satisfacerent. Debuit igitur inducere debitores ad dominos læsos sedulius inquirendos; nec potuit hæredes cognitos præmittere, præsertim, si sint hæredes necessarii, ut filii, etc. *Per se* igitur Confessarius ille indoctus et imprudens peccavit graviter contra justitiam, atque ad restitutionem loco pœnitentis obligandus est. Postquam pluries restituerit, forte melius doctrinam tradendam tenebit.

## CASUS VIII.

## EXPENSÆ AD RESTITUENDUM.

HENRICUS restituere vellet mille nummos quos ARSENIO surripuit. Sed res ardua est. Etenim ARSENIUS habitat nunc in alia regione valde dissita, et HENRICUS magnas expensas facere debet ad debitum in locum hunc transferendum. Igitur eam pecuniam pauperibus distribuit.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *An, vel quænam expensæ solvendæ excusare possent debitorem a restitutione ipsi domino faciendâ?*

2<sup>o</sup> *Quid si agatur de debitis relative minutis?*

3<sup>o</sup> *Quid de HENRICO statuendum? An iterum restituere debeat? Si a Confessario ignaro accepisset consilium erroneum restituendi pauperibus, an, detecto errore, adhuc restituere deberet?*

SOLUTIO :

712. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Non clare constat; Theologi enim de hoc non conveniunt. Attamen regula sequens sat communiter traditur: si expensæ, quas facere deberes ad restituendum ipsi domino, essent plus quam duplo majores damno creditoris, sufficit ut restitutio fiat pauperibus, vel differatur, si spes sit ut difficultas restituendi domino cesset. Secus vero, si hanc proportionem non adæquent. Sed pro variis circumstantiis hæc regula erit modificanda. *Lugo.* — *S. Lig. n. 598.* — *Vogler, n. 415, etc.* — *V. Comp. n. 710.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Si agatur de minimis relative debitis, satis erit ea in pauperes refundere: v. g. si quinque francos missurus esses in Americam; vel si decem francos decem hæredibus distribuere deberes, etc...

713. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> HENRICUS male fecit, et *per se* ad restitutionem tenetur, non obstante solutione jam pauperibus facta. Debat enim interrogare, et rem tanti momenti per se ipsum solum non dirimere. Excusaretur tamen ab alia restitutione faciendâ, si enormes expensas facere debuisset ad dominum indemnem faciendum, erga ipsum debitum, ut modo dictum est.

2<sup>o</sup> Si, suadente Confessario, pauperibus restituit indebite quidem, sed bona fide, in Confessarii decisione innixus, a restitutione eximendus est. Verum ejus loco restituere debet Confessarius, si hujus ignorantia fuerit graviter culpabilis. Si vero debitor non fuerit in bona fide constitutus, v. g. si noverit Confessarium esse indoctum, restituat ipse prior, et ejus defectu Confessarius.

## CASUS IX.

CAUSÆ PER SE EXCUSANTES A RESTITUTIONE 1<sup>o</sup>.

ANOLINUS, iter agendo per multos annos, dominis variis varia intulit damna. Surripuit uni 20 asses, alteri 3 fr., tertio 5 vel 10 fr., imo aliquando 20 fr. et amplius. Cum autem de his fuisset confessus, et a Confessario ad restitutionem obligatus esset, respondet se non posse sine æqualibus et forte majoribus expensis restitutionem peragere; deficere insuper media ad compensationem faciendam; se nescire omnium nomina, nec locum certum habitationis, neque si nunc adhuc vivant, vel etiam quinam, et quot sint eorum hæredes.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *Quænam sint causæ excusantes a restitutione?*